

teriam laudis Dei, ac dicit, ubique inueniri materiam laudis Dei, cum omnia sint plena operibus eius magnis, & mirabilibus, quæ diligenter considerata laudabilem reddunt artificem. A Solis ortu vsque ad occasum, id est, per totam mundi amplitudinem à principio vsque ad finem laudabile est nomen Domini propter opera eius, quibus ab omni parte plenus est Mundus.

IV. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius.

Nec solum per amplitudinem Mundi, sed etiam per altitudinem ubique inuenitur materia laudis Dei: nam etiam si multi sint in terra magni Principes, & potentissimi Reges: tamen super omnes longè eminent Deus: neque solum super omnes gentes terræ, sed etiam super omnes Angelos cæli excelsus est Deus, & gloria eius cælos omnes, & qui habitant in eo, transcendit. S. Ioa. Chrysostr. in his duobus versiculis vult contineri prædictionem Ecclesiæ Christianæ; per quam factum est, ut nomen Domini, quod in sola ferè Iudæa notum erat, nunc vsque solis ortu vsque ad occasum laudetur, & omnes gentes illi subiiciantur, & eo modo sit excelsus Dominus super omnes gentes.

V. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra.

Laudate nunc Deum ab admirabili benignitate, quæ coniuncta cum tanta sublimitate mirabilior apparet. Quis, inquit, est sicut Deus noster, qui in altis habitat, videlicet in summo cælo, & tamen humilia respicit, homines videlicet, qui iacent in terra. Nā sic explicandus videtur ad literam hic versiculus iuxta distinctionem hebraicam, & modum loquendi Scripturæ; ut illud, in cælo, referatur ad illa verba, in altis habitat: & illud, in terra, referatur ad illa, humilia respicit: præsertim cum in hebræo sint duo participia contraria, Quis sicut Dominus Deus noster exaltans se ad sedendum,

& humilians se ad respiciendum, in cælo, & in terra, id est, ad sedendum in cælo, & ad respiciendum in terra. Similis est sententia illa in primo capite Canticorum, Nigra sum, sed formosa filia Sion, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis: ubi, sicut tabernacula Cedar, coniungitur cum, Nigra sum: & sicut pelles Salomonis, coniungitur cum, sed formosa. Significatur autem hac Phrasi Deum per excellentiam naturæ omnia sub se habere; & tamē tamē per clementiam rebus omnibus quavis humillimis adesse, ac præcipuè hominibus mitibus, & corde humilibus se inclinare. Quod si non placeat hæc distinctio, potest etiam rectè exponi, quod Deus quamuis naturæ sit excellentissimæ & sublimissimæ, tamen à superbis, & tumidis, oculos auertere, ad humiles, & mites libenter aspiciere soleat; idque tam in cælo, quam in terra: nam & in cælo superbos Angelos detestatus, humiles respexit, & ad gloriæ suæ participationem euexit: & in terra superbis Pharaonibus, Saulibus, aliisque similibus contemptis, ad Moysen, Dauidē, aliosque mites, & humiles respexit. Sed altiore, & Prophetico sensu significatur his verbis, Deum in cælo sedentem non neglexisse genus humanum in terra humiliter abiectum.

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. VI.

Vt collocet eum cum Principibus, VII.

Declarat, cur Deus respiciat humiles: ac dicit, id eum facere, ut eos exaltet, Quamuis autem hæc applicari possint singulis hominibus, quos ex infimo gradu Deus euexit ad summum, quales fuerunt Ioseph Patriarcha, Moyses, Dauid, & similes: tamen aptissimè conueniunt hi duo versiculi humano generi, id est, toti gregi pusillo electorū, quibus Saluator ait, Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia cōplacuit Patri vestro dare vobis Regnum: nam genus humanum iacebat in terra, & in stercore peccati originalis, & consequentiū miseriarū:

& ta-